



DISSERTATIO DE CONNUBIIS HEBRÆORUM.

DE connubiis tractatio aded late porrigitur, ut unica Dissertatione totam complecti nunquam possemus. Quare nec ut Jurisconsulti tanquam civile aliquod pactum, nec ut Theologi tanquam morale aliquod sive religionis opus Dei nominis invocatione sacrum respiciemus; at de solis nuptialibus ritibus differendum erit nobis in presentia, tum & de pactis sponsalitiis, in quæ omnia priscos recentisque mores quantum fat est, ut Commentario in Canticum Canticorum serviant, percurreremus.

Præcoccissima erant apud Hebræos connubia: virorum ætas à Rabbini præscribitur 18. annorum (b), quam ætatem si quis celes exegerit, ille criminis reus est, præceptum illud Dei ad primos homines transgressus: *Crescite & multiplicamini* (i). Liberum tamen cuique ætatem illam prævenire. Quod ad puellas attinet, citissime quidem sponsalibus obligabantur; nuptiæ verdè tandiu dilatae quandiu pubertatis, quam vocabant, ætatem, nempe duodecim annorum & unius quoque diei (k), non absolvisent. Hinc phrasæ illæ in Scriptura familiares: *Uxor pubertatis meæ* (l), quibus priores in adolescentia nuptiæ designantur, & illud, *Dux pubertatis* (m), quod de Sponso usurpatum est.

Facile hinc intelligimus, cur virginitas opprobrio esset Israelitis, ut insignis præ omnibus probri loco ducerent Hebræi, si domum patris sui inædificatam reliquisset, neque eorum nomen in Israel fuisse sibi exprobraretur. Hinc luctus filia Jephthe, virginitatem suam non secus ac funus lugentis (n); diem enim suam virgo clauderat, nullo patri hærede relicto. Hinc etiam Dei adversus Israelitas minæ apud Isaiam (o), futurum nempe prædicit, cum rari aded in Israele viri occurrerent, ut septem feminae uni singulari viro elocarentur, contra receptum apud omnes gentes morem, nihil ab illo postulantes. *Panem nostrum comedemus & vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum: ac si diceret, id tantum volumus, ut uxores tuæ appellemur, & virginitatis à nobis opprobrium avertatur.* Dilecta in Canticis cap. 8. 1. ita charum sibi virum affatur: *Quis mihi det, ut inveniam te foris & desculer te, & ducam in domum matris meæ, & jam me nemo despiciat?*

h Leo Moden. Carem. Jud. cap. 3. 1 Gen. 1. 28.

k Selden. Uxor Hebr. 1. 2. c. 3.

l Joel. 1. 8. Super virum pubertatis tua. Et Malac. 2.

14. Uxorem pubertatis tua. m Proverb. 2. 17. Reliquit ducem pubertatis tua. n Judic. 11. 37.

o Isai. 4. 1. Vide & Jerem. 31. 12. Mulier circumdabit virum.

i. e. quando, rogo, continget, ut ego uxor & mater facta, duplex à me sterilitatis & cælibatûs opprobrium depellam? id enim designat Sponsi in maternam Sponsæ domum introductio.

Cùm verdè mulieres & maximè puellæ in claustris domûs suæ ab omni externo commercio prohibet detinerentur; plerumque alicujus puellæ connubia perebantur antequam conjuges mox futuri se mutud cognoscerent. Puella ante conjugium *almâ* appellabatur, i. e. latens; & cùm Scriptura grande aliquod malum (p), vel novum quid totum ciens Urbis populum exprimit, ipsas è claustris puellas accurrisse dicit: *Filia Patris abscondita* (in domo nempe patris) est *vigilia & sollicitudo ejus, aufert somnum; ne fortè in adolescentia sua adulta efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat*, ait Eccli. 42. 9. Et in Cantico 8. 8. *Soror nostra parvula, & ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* i. e. quando nuptiæ ipsius postulanda, sive quando coram dilecto suo producenda; quemadmodum producta est Rebecca coram Eliezer Isaaci pronubo, num in eas nuptias consentiret, interroganda. *Si murus est, addit Canticum, adificemus super eam propugnaculum argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*, i. e. vestibus splendidissimis, atque muliebri cultu ejus decorem elegantiamque promoveamus.

Hemor pater Sichei, & ipse per se Sichei nuptias Dinæ filiae à Jacob parente postularunt (q), & Samson visæ à se mulieris in Thannata, genere Philistinorum, specie captus, ejus nuptias optare se patri suo significavit. His auditis, parentes & ipse Samson ejus puellæ parentes eâ de re rogarunt, pactaque nuptialia sancita sunt. Nuptiæ tamen diu prorogata; cum enim Samson ad Sponsam sese conferret, leonis à se extincti, cùm primò Thannatam iret, cadaver solum jam offendit, & in nudâ ossium compage apes infedisse. Hoc exemplo doctrina Judæorum confirmatur, pacta nimirum sponsalia diutius connubium præcedere, nimirum 6. mensium vel toto anni spatio (r). Id tamen non usque adeo receptum, è Tobia junioris historia (s) docemur; quippe qui statim à postulatis nuptiis matrimonium inivit. Tradunt Rabbini, quibus tamen asserentibus vix credimus (t), integrum non fuisse parentibus, si fortè ab aliquo filiarum nuptiæ po-

p 2. Macc. 3. 19. & 3. Macc.

q Gen. 34. 4.

r Leo Moden. Caremon. Judæor. c. 3. s Tob. 7. 14. 15. t Maimon. Halach. 1. 1. c. 3.

u Selden. lib. 2. c. 2. Uxoris Hebræica.

x Deut. 24. 1. y Vide Selden. loc. citat.

z Leo Moden. c. 3.

* Selden. lib. 2. Uxoris Hebr. cap. 1.

postularentur, reculare, modò puella certam pubertatis ætatem; duodecim nempe annorum & unius diei, exegisset. Contrarium planè à Scriptura infinuatum credimus, in qua semper filia in parentum potestate permittuntur, & pro arbitrio ipsorum nemine repugnante, elocantur. Idem observare licet in connubio Rebecca, & Saræ uxoris Tobia junioris, quæ sanè puellæ legitimam ætatem attigerant: licet etiam spectare in Thamar nuru Juda, quæ sine fœderi assensu connubio jungi interdicitur.

Pacta Sponsalia sive scripto sive traditâ à Sponso argenteâ aliquâ monetâ puellæ, vel saltem cohabitatione & conjugali commercio firmabantur (u). Hæc instrumenti formula. Tali feriâ, tali die mensis N. Anno tali à creatione Mundi, juxta supputationem, qua nos utimur &c. *Quo tempore Talis, filius Talis, dixit Tali puellæ, filia Talis. Sis mihi Sponsa, juxta institutionem Moysi, & Israelitarum, & dabo tibi dotem virginitatis tuæ, argentum scilicet 200. zuzorum, quæ summa competens est tibi ex ipsa Lege. Et assensum præbuit Talis (puella), ut ejus jam esset Sponsa. Ideoque Sponsæ huic (sua præstitit) dotem scripto ei constituere diebus eorum Nuptialibus. Insuperque dixit: In me suscipio, atque in hæredes meos posterisque, præstare quod in hoc Libello sponsalitiis continetur, etiam ex pallio, quod in humeris meis, idque sive vivam sive moriar. Quin & suscepit in se Talis (Sponsus) præstandi quod in Libello hoc Sponsalitiis continetur onus, juxta ea, quæ ex more attinent ad alios ejusmodi Israelitum libellos Sponsalitiis &c. Testes N. N. N. Pacta verdè traditione monetæ & sine scripto firmata coram Testibus agebantur; illis enim adhibitis vir puellæ monetam tradens profitebatur: *Ecce tu mihi ex hoc Sponsa sis. Oppignerationes percoitum, Lege quidem permitti docent RR. (x); à Patribus verdè interdici, quòd matrimoniorum clandestinorum incommoda & licentiæ ansam præstarent (y).**

Conciliatis femel sponsalibus, mutud virum inter & mulierem familiaritas, ad id usque interdicta (z), non tamen licentia, permittebatur. Si quid deinde vitii Sponsa cum alio quàm cum Sponso contraxisset, adulterii rea censerebatur (*). Sunt qui oppigneratam tantum S. Josepho B. V. Mariam Jesu Christo foetam tredant; quæ si fortè criminis, cujus ex tumore ventris suspicionem mysterium ignaris præbebat, rea deprehensa fuisset, potuisset à viro continuò non remitti tantum, dato repudii libello, sed & de adulterio punienda Magistratibus deferri. Esto enim mutua inter sponsofam familiaritas permitteretur, non ea tamen, quæ conjugibus post celebratas reapte nuptias, data facultas. Ita enim Patrum edicto cautum habebatur, arduioribus conclusâ finibus Legis in ea re juxta illorum interpretationem licentiâ; è re publicâ enim visum est, eâ inhibitione publicâ honestati & morum integritati consulere. Si quis fortè hujus præcepti reus damnaretur, flagrorum animadversionem, subibat.

Receptum erat apud Hebræos, ut Sponsus soluto pretio Sponsam emeret, qua de re conveniebat inter partes, sicut etiam de ceteris nuptiarum conditionibus; de dote à viro solvendâ, de muneribus etiam parentibus, & fratribus Sponsæ tradendis, antequam pacta Sponsalia rata haberentur. Vadem horum omnium exhibemus historiam Jacob. Conventum est primò inter ipsum & Labanum septenni de famulatu, quo ipse Jacob pro emendo sibi Rachelis conjugio serviret; totidemque insuper servit pro eadem Rachele, cum priores nuptiæ cum Lia pro Rachele fraude Labani conciliatæ fuissent (a). Queruntur autem ambè conjuges de Jacob, quòd debitam sibi dotem parens usurpasset (b); quarum in ea re querelæ sive Labanum, injustitiæ accusant, sive minoris in filias indulgentiæ; neque enim tanquam aliena rapientem restitutionis reum peragunt. Saul filiam suam Davidi vendidit centum præputiis Philistinorum (c). Sichei filius Hemor Dinæ nuptias postulans, hæc ad fratres puellæ dicebat: *Inveniam gratiam coram vobis, & quacumque statueritis, dabo. Augete dotem & munera postulate, & libenter tradam quod petitis: tantum date mihi puellam hanc uxorem (d).* Quindem nummis argenti hordeique mensurâ cum dimidia, Osee conjugem emittit (e). Nec tamen propterea abstinere pater, quin pro modo conditionis suæ munera daret filia, sumptui in cultum puellarem & solemnem in domum Sponsi traductionem sufficiens. Moribus receptum erat, ut munera illa 50. zuzim non excederent. Porro zuzim monetæ erat vilissima, unico argenteo denario juxta RR. respondens, i. e. (f) quartæ scilicet argentei parti, sive 8. solidis circiter monetæ nostratis (g).

Hæc formula instrumenti nuptialium apud Hebræos (h). *Die N. Mensis N. anno juxta calculum nobis in usu &c. Ad suorum N. N. filius N. dixit N. Filia N. Virgini: Sponsa sis mihi in uxorem, juxta institutionem Moysi & Israelitarum. Et ego, Deo volente, colam, honorabo, sustentabo, cibabo, alamque, & vestiam te juxta morem Maritorum Judæorum, qui honorant, sustentant, cibant, alunt vestiuntque uxores suas, ut decet. Do etiam tibi, ut virginitatis tuæ dotem, argentum CC. Zuzorum zuzor argenti (i), qui tibi ex Lege competunt; præstaturus etiam tibi alimenta tua, & vestimenta tua, & quæ tibi sufficiant, & concubitum tecum juxta morem universæ terre. Assensum item præbuit illa N. ut esset illi N. in uxorem. Voluit etiam & adiecit illi illi in principali dotis incrementum summam N. Et bona quæ attulit ipsa Sponsa, estimantur summa N. Totum autem Sponso huic acceptum, in ejus possessionem transit, & illius fit potestatis; atque ut creditum ex ejus fide pendet. Et sic nobis dixit Sponsus ille N. In me recipio præstare, in me recipio præstationem totius ipsius, dotis etiam & honorum quæ secum ipsa Sponsa attulerit, aut post modicum sibi acquisierit; item & dotis incrementi conditionumque qualiumcumque ad dotem attinentium; nec in me solum, sed*

a Gen. 29. 26.

b Gen. 31. 15.

c 1. Reg. 18. 25.

d Gen. 34. 11. 12.

e Osee 3. 2.

f Misna tit. Ketuboth c. 6.

g Selden. lib. 2. Uxoris Hebr. c. 10.

h Maimon. Halach. Jebom Vechaliza c. 4.

i Summam conficiunt siflorum argenti, seu 81. libræ monetæ nostratis.

sed etiam in haredes meos, qui mihi successerint, & in omnem substantiam meam pretiosorem, possessionesque meas qualescumque sub Calo, qua sive nunc mihi sunt, sive in posterum fuerint, idque, sive res fuerint mobiles, sive immobiles; qua universa pignori sunt atque hypotheca doti jam dicta toti, ac rebus quas secum attulit, seu postmodum adquisierit Sponsa, & incremento dotis, ut exinde hac praestentur, sive dum superstes fuero, sive postquam sum mortuus. Quod & de pallio super humeris meis dictum volo. Quin & obligatio omnium rerum, qua supra scribuntur, memoranturque implenda, non qua probatio suppetat deservire, seu pro Libelli formula vi, sed iuxta vim & effectum omnium Libellorum dotalium, qui in usu apud Israelitas, & secundum id quod receperunt & ordinarunt Rabbinii nostri pia memoria. Et signavimus Libellum, seu Syngrapham hanc dotalem, tempore supra memorato. Resque tota sit manifestata rata ac firma.

Cum inter partes de nuptiis contrahendis convenisset, certa in eam rem dies decreta. Quartam feriam vel sextam pro puella, quintam pro vidua solent Judaei recentiores (k). Praecedenti ad eam rem die Sponsa ad balnea se confert, indeque strepitibus circum variis culinariis instrumentis, quibus de nuptiis vicinus quisque moneatur, solemnibus pompâ deducitur. Collatis simul quae Seldenus, Buxtorfius, & Leo Modena in eam rem scripserunt, cum non satis illi inter se convenerint, suspicor non eundem ubique apud Judaeos morem obtinuisse, sed pro varia regione in pluribus variari. Qua die celebrandum est matrimonium, Sponsa mundo omni muliebri ornata, solemnibus pompâ & inter puellarum nuptialium cantilenas in aedem ad eam rem destinatam deducitur. Deus ipse, si fides RR. (l) à se alienum non censuit, si suis ipse veluti manibus Evam comeret, mox ad nuptias Adami producendam. Quare ornata Dei ministerio Sponsa, atque splendidissimis vestibus fulgens Sponso coram afficit. Ludebant interim Angeli, omnium instrumentorum concentu, primis illis nuptiis plaudentes; cum interim Deus triumphalem umbellam sub qua nuptiae contrahendae, sufficeret. Bella rudioris crassiorisque populi commenta!

Ceremonia nuptialis plerumque in atrio, horto, vel agro, sub dio semper celebratur (m); aliquando tamen aula velamentis ornata in eam rem instruitur, ait Leo Modena cap. 3. Deducendis autem Sponsis nec instrumenta musica desunt, nec triumphale velum quatuor adolescentulis sustentatum. Nigrum flammeum vultui Sponsae obducitur, quo in memoriam reducitur velum Rebecca, quo sibi faciem velavit, cum procedentem obviam Sponsum suum Isaacum prospexit (n); eodem velo obnubitur Sponso, in memoriam, ut ferunt, everfionis Templi Hierosolymitani. Dein utriusque conjugis capiti imponitur Talea, quadratum nempè velum, totidem floccis ad quatuor angulos ornatum; id autem ejus rei gratiâ praestitum docent RR. quod

Ruth ad Booz dixerit: *Extende pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es;* & Ezechiel. 16. 8. ubi Deus de Israelitis, quos veluti Sponsam exhibet, loquitur: *Transivi per te, & vidi te, & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam; & juravi tibi & ingressus sum pactum meum, & facta es mihi.*

Tunc Rabbinus loci Praefectus, sive Cantor Synagogae, vel saltem propinquior consanguineus, craterem seu vas plenum vino assumens, pronunciat prius in haec verba benedictione: *Benedictus sis Deus, qui creasti marem & feminam, & matrimonium injunxisti* etc. Sponso prius, deinde Sponsae degustandum poculum propinat. Secundum haec, Sponso annulum digito Sponsae coram testibus, Rabbinis plerumque, inserit, haec simul verba pronuncians: *Ecce mihi Sponsa sis ex hoc annulo, secundum institutum Moysi & Israel.* E folido auro paratum annulum, nullo adjecto gemmae ornamento, Buxtorfius describit, docens simul, Sponsum universo cœtui aureum esse illum & justis valoris adprobare. Excipit deinde lectio instrumenti nuptialis, quod sponso puellae consanguineis servandum tradit. Iterum post haec vinum sive in vitro sive in fragilis materia vase aliquo, post decantatas sex benedictiones, (septem cum priori, de qua supra, aprecandae sunt) iterum novis conjugibus propinatur, quod restat, in signum lætitiæ effuso. Abreptum autem vas Sponso vi quadam in murum sive in terram elidit, cujus contracti symbolum Templi Hierosolymitani desolationem exprimit. Solet alicubi cinere ejus rei gratiâ Sponso caput inspergi. Justiore alii moraleque interpretationem ejus ceremoniæ promunt, nimirum ut symbolum aliquod mortis ejus fœti lætitiæ diluat, eaque veluti imagine fragilem labilemque naturam suam in vitro expressam homines intueantur. Eo pariter spectare dicunt atra illa velamina, quibus utriusque Sponso caput obnubitur (p). Velamina illa linea, & omnibus phrygiis ornamentis, gemmis auro argenteoque ornata, Seldenus post RR. praescribit (q).

Idem Seldenus nonnulla, non abs re prorsus, hic referenda, in haec omnia observat. 1. Post contracta Sponsalia, & obfignatum maritali instrumentum, integrum esse Sponso Sponsam in aedes deducere, atque nuptias maturare. Id tamen non sine exceptione quadam viris permittitur. 2. Si puella duodecim aetatis annum unâ die nondum excessisset, cautum Sponso ne è domo patris educeret, neve matrimonium consummaret, nisi patre, & puellâ simul annuentibus; & quando etiam utriusque assensum suum praebuissent, integrum erat puellae anni dilationem petere, quo pariter jure eadem puella jam puber censebatur; quippe cui uno anno matrimonium differre integrum manebat. Quamquam si pacta Sponsalia integro anno post filiae pubertatem celebrarentur, tunc ad unum tantum mensem dilatio permittitur. Fas etiam Sponsae ad implendas nuptias Sponsum cogere; qui vicissim eodem jure ac Sponsa,

in differendo nempè matrimonio, censebatur. Si ultra concessum tempus nuptiae protraherentur, alere suis impensis Sponsam usque ad nuptias Vir in poenam tenebatur. Haec disertè quidem nunquam in Scriptura; quae tamen certum aliquod tempus, intra quod Sponsalia definienda essent, non obscure designat, narrans, Jacob post impletum certum tempus nuptias Rachelis à Labano exegisse (r): *Damibi uxorem meam, quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam.*

Festis diebus & Sabbato, à Sponsalibus & connubiis ineundis apud Judaeos feriatum; sunt etiam qui privilegium diei festi ad praecedentem Sabbato diem & subsequentem (s) prorogent; quod testimonio Leonis Modena repugnat, ex cujus fide festum ad eam rem sextam feriam supra retulimus. Nulla tamen Sabbati religio morabatur nuptialia illa festa, septem dierum ad minus spatium celebrata; quemadmodum exemplis Lia (t), Sarae junioris Tobiae sponsae [u], & Samfonis (x) docemur. Ad eam nuptialem pompam vir sanctè aded adigebatur, ut plures licet feminas eadem die duxisset, nihil de septem illis diebus demere permitteretur, inquit Rabbinii.

Annulum sponsalium, quo sibi Sponso puellam oppignerabat, vetustissimam esse & ad rem conjugii pertinentem ceremoniam plures autamarunt, ejusque ritus vetustas ex altissimis repetita fontibus deducitur. Seldenus tamen recentiore esse ex eo demonstrat, quod ejus mentio in ritualibus quidem Libris Hebræorum frequens, nusquam tamen in Talmud occurrit; neque de annulis connubialibus quidem in Scriptura; laudat etiam Opus Ms. Leonis Modena de ceremoniis Judaicis, in quo desuisse jam annulos in connubiis Hebræorum disertis verbis asserit. Editio Itala habet plerumque eum morem neglectum; sed verso Gallica D. Simonis impositum digito Sponsae à Sponso coram duobus testibus annulum legit. Addit Seldenus, praescriptam in Ritualibus eam ceremoniam loco veteris alterius jam abrogatae, tradendi nempè Sponsae argenteam aliquam vel auream monetam arrhas sponsalicias. Hinc ait virum illum, qui toti ceremoniæ praesert, nostrâ etiam aetate, testes rogare consuevisse, num ille, quem monstrat, annulus nummum argenteum valeat; quibus affirmantibus, quaerit item, num Sponsalia praesertissent, iidemque annuentibus, statim Sponsae digito annulus inferitur. Porro quae de annulis nuptialibus S. Annae, S. Joachim, S. Virginis Mariae, S. Joseph feruntur, ad fabellas non immeritò rejicias. In ceremoniâ nuptiali Tobiae junioris, Raguel Sponsae parens apprehensam filiae suae manum intra Tobiae manus reposuit, addens (y): *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob vobiscum sit, & ipse conjugat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.*

Coronae nuptialis vetustior ritus, cui petita è Scriptura exempla non desunt. Docent Judaei (z) coronas olim in ceremoniâ

nuptiali utrumque conjugem gestasse; Sponso quidem auream vel argenteam, vel rosae seu myrto, vel olivae ramo contextam; Sponsa vero auream, vel argenteam. Utriusque forma coronas Matris deorum, turritas nempè referebat. Ejus rei usum interdictum fuisse ajunt post Hierosolymae à Romanis everfionem. De corona Sponsae nihil in Scriptura, nisi fortè eò spectare credatur illud Cant. 4. 8. *Veni de Libano, veni, coronaberis.* Sed nihil de corona in Hebræo. De Sponso verò corona haec apud Isaiam 61. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, qui induit me vestimentis salutis, & indumento justitiae circumdedit me quasi Sponsum decoratum coronâ, & quasi Sponsum ornatum monilibus suis.* Sponsa in Cantic. 3. 11. *Videte filia Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius.* Tandem Author 3. Macchab. describit adolescentes Sponso catenarum ponderi pro coronis nuptialibus colla subdentes.

Solent nostrae aetatis Judaei super duorum conjugum, & maxime Sponsae, caput frumentum plenis manibus spargere, illud interim apprecantes; *Crescite & multiplicamini.* Adduntur alicubi nonnullae argenteae monetae, quae pauperibus colligendae permittuntur. Olim verò in moribus positum fuisse tradunt Rabbinorum nonnulli, ut utriusque conjugii terrâ referretur cistæ, in quibus satum antea hordeum jam germinaret, traderentur; addita simul precatione illâ, crescerent nempè illi & auferentur, veluti frumentum illud, quod ceterorum frumentorum praecocissimum est. Non abludit ceremoniam illa ab hortis Adonidis, quo nomine vimineae quaedam sive argenteae ad viminearum modum contextae cistae, in quibus satæ quaedam herbae (a) germinantes jam designabantur. Solebant plerumque in festis Adonidis deferri, velut indicium quoddam ceremoniæ nuptialis. Mane tamen alterius diei ejusdem Numinis funus lugebatur.

Illud etiam apud Hebræos singulare observabatur, ut cum primum Sponso ad umbellam, sub qua pacta nuptialia celebranda, pervenisset, Sponsa à foeminis deducta, ter circum Sponsum gyraret, iuxta illud Jeremias 31. 22. *Fœmina circumdabit virum.* Dein verò Sponso Sponsam manibus tenens, semel tantum circa umbellam ducebat (b). Ridenda haec quidem, nec sanè minus ineptè Jeremias locus ad pompam nuptialem accommodatur; id enim tantum insinuat Propheta, futurum, ut post solutam captivitatem, felicia adeo laborentur tempora, atque civium numerus adeo floresceret, ut nulla foemina de quaerendo sibi viro atque gignendis filiis sollicitudine aliqua teneretur.

Adjectum Sponso Paranympum, quem Jesus Christus *amicum Sponso* (c) appellat, ex Evangelio intelligimus. Juvenem etiam nobilis comitatus selectus in obsequium illius solemnibus nuptiarum die. Nec simili pompâ Sponsa desituebatur. Porro nuptiarum socii spectantur in hi-

k Leo Modena. ceremon. Judaeor. c. 3.

l Rabb. in Talmud. Vide Buxtorf. loc. citat.

m Buxtorf. ibidem.

n Gen. 24.

p Confer Buxtorf. & Leon. Moden. loc. cit.

q Selden. Uxor. Hebr. l. 2. c. 5.

r Gen. 29. 21.

s Selden. ibid. l. 2. c. 12.

t Genes. 29. 17. u Tob. 13. 23. x Judic. 14. 15.

a Theocrit. Idyll. 15.

b Buxtorf. Synag. Jud. c. 28.

c Job. 3. 29.